

AEMILIUS PORTVS

FR. PORTI CRETENSIS F.

CANDIDO LECTORI S.



LN tibi, candide Lector, *ἄντις*, imò verò (ut Aristophanico vocabulo ordiar) *ἄντις* & *ἄντις* *ἄντις*, qui dudum sub Aristophanis nomine delituit: hoc est, Aristophanis, quæ nunc extant Comædia, multifariam hæcenus & mutilata, & deformata, summa diligentia instaurata, & pristino nitore (quantum fieri potuit) restituta. Quorum autem opera magnus hic, & propemodum Herculeus labor ad exitum satis felicem fuerit perductus, rem, ut habet, sincerè narrabo. Ante aliquot annos accidit, ut nobilis quidam Gallus qui se (ea fuit viuentis modestia) non fuisset passus nominari, Lausanna iter faciens, ut longius progredereetur, ibi dies nonnullos sibi obiter terendos putarit, ut quorundam veterum amicorum precibus, ac votis indulgeret. Eius enim conspectus, & præsentia cum ob morum suauitatem, ac insignem vitæ probitatem, tum quia nec *ἄντις*, nec *ἄντις* inter doctos habebatur, omnibus longè gratissima erat. Quoniam autem ipsum in primis linguæ Græcæ & amantissimum, & studiosissimum ab omnibus amicis predicari intellexeram, ego, qui sum *φιλέλλω*, *φιλόμουσος* & *ἄντις*, summo desiderio amicitia, atque familiaritatis cum tanto viro contrahendæ flagrare cœpi. Quod non admodum difficile fuit, siquidē ambo *συμπάθει* quadam affecti bonas literas amore pari prosequeremur. Non multò post, cum in amici cōmunis adibus unâ pranderemus, inter familiaria varijs de rebus colloquia, ut est moris, sermo factus est de Poetis Græcis. Tunc ille summis laudibus Aristophanem euehere, tum ob ingenij acumen, & festiuitatem, tum quòd in eo præcipuè linguæ proprietates, & Atticus lepos ubique eluceret. Addebat illis lectione (qua vel maximum illud Theologorum lumen Iohannem Chrysostomum olim delectatum ferunt) se quoque mirificè delectari, & illius frequenti repetitione multa, quæ in vulgatis exemplaribus deprauata leguntur, emendasse. Multa in antiquis scholijs aut omiſsa, aut negligentius tractata explicasse, ac illustrasse. Quin etiam in duas postremas Comædias, quæ ad hoc vsque tempus nude in lucem prodierant, iustos, & accuratos commentarios ad reliquarum normam iam pridem construxisse. Horum ut fidem faceret Aristophanem à famulo in medium afferri iussit, in cuius margine multa manu annotata, multa diuersis folijs seorsum, & passim, ut tumultuariè inter legendum sese obtulerant, descripta extabant. cum autem hæc oculis raptim pro temporis exiguitate percurrissem, statim animaduerti iuuentutem linguæ Græcæ studiosam, non paruam utilitatem, doctiores verò non leuem voluptatem inde percepturos. Illum igitur orauit ut hæc mihi per otium accuratiùs legenda, ac perpendenda permitteret. At is recusare, & negare dignam esse rem, quæ in hominum conspectum veniret, quòd hæc, dum esset iunior, animi gratia, utique Aristophanem sibi familiariorem, ac notioſiorem redderet, sibi soli ceu quoddam Atticæ linguæ penum parasset. Scopas esse dissolutas, aliquando fortasse melius colligandas, ac proinde intra bibliothecæ claustra continendas. Multa alia huiusmodi afferebat. Tandem tamen meæ, & amicorum, qui tum aderant, sententiæ, precibusque cedens, imò, inquit, mi Portie, fac ut lubet.